Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1014
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

apostolus. melius est nubere quam uri. et iterum unusquisque habeat suam propter fornicationem. et tamen dicitur esse plures cum nullum sit impedimentum quia plures sequuntur. Si fieri posset sacramentum non significaret in se hoc propter habitudinem Christi et ecclesie.

Sunt autem impedimenta matrimonii **Impedimenta**
numero x. Votum. ordo. habitus. **matrimonii.**
Dispar cultus. error persone. error conditionis. ligatio. cognatio carnalis. cognatio spiritualis. Interdictum ecclesie. Quedam istorum impediunt matrimonium et dirimunt contractum. ut ordo. habitus. et cognatio. Quedam impediunt contrahendum et non dirimunt contractum. ut uotum simplex et cognatio spiritualis ut inferius dicetur. ¶ Votum genus est quoddam necessitatis. ut uotum baptismi. quoddam uoluntatis ut uotum continentie et abstinentie. ¶ Votum sic describitur. Votum est promissio melioris boni cum deliberatione animi. uoce uel opere firmata. quia mala uota non debent. et si uouentur non debent adimpleri. Vnde dicit canon. In malis promissis rescinde fidem. in turpi uoto muta decretum. quod incaute uouisti ne facias. Impia est promissio que scelere adimpletur. ¶ Item sollempne uotum est quod fit cum sollempnitate. ut si aliquis suscipit aliquem ordinem uel faciat promissionem in manu episcopi uel sacerdotis. uel super altare et tale uotum contrahendum impedit matrimonium et dirimit iam contractum. Si fuit de continentia. set de peregrinatione uel aliquo simili non impedit. ¶ Votum simplex est illud quod fit per uerba de futuro. ut cum dicit aliquis. Voueo et continebo per talem terminum. uel ad hoc. Vnde uouens si contrahit matrimonium ante illum terminum tenebitur matrimonium. et non uotum quia fortius uinculum est matrimonium quam uotum. et facilius est reuocare promissum quam datum. tamen peccat mortaliter. qui sic facit. quia non soluit deo quod ei promisit. Set si contingat quod mulier moriatur. tenetur soluere prius uotum. nec de cetero poterit iterum contrahere matrimonium. sicut nec prius potuit. et si contrahit tenet matrimonium. set debet ei iniungi grauis penitentia quia non soluit deo quod ei promisit. ¶ Item nota quod mulier inpotente uiro non potest facere uotum de continentia nec debet ei iniungi aliquod speciale ieiunium. preter communia ieiunia. quia mulier debet obseruare corpus suum in tali statu ut sit parata reddendum debitum carnale uiro. ¶ Item si puer minor fecerit sine consensu patris et matris uotum aliquod. et non peruenerit ad annos discretionis uel pubertatis. possunt pater et mater reuocare istud uotum. Et sunt anni pubertatis in mare xiiii anni. in femina xii. quia dilatoria sunt uota mulieris. ad lubricum carnis quam uirorum. ¶ Item nota quod si aliquis in feruore egritudinis fecerit uotum et habitum assumpserit set postea cessante illo furore habitum sumptum abiecerit. et si redditur huic claustrum iterum recuperare. quia sano presumitur quod uotum istud non fuit discretum. ut nec fecerit ex certa deliberatione animi proprie. affinit quod si constiterit quod alienatus est uel perturbate mentis fuit nimia egritudine. unde tale uotum non impedit quin possit contrahere matrimonium. Verumtamen si uenerit postea ad confessionem debet sacerdos inquirere in quo statu mentis fuit quando uouit. et si habuit sanam mentem uel non quando assumpsit habitum. quia ipse se ipsum [illegible] proprie nimis melius scit quam [illegible] quando uouit habuit sanam mentem uel non. quia si habuit dampnat animam